

## USUS E VERSU V.

(1) *Infirmetas nostra etiam exinde innotescit, quod non nisi ante, & ubi vultus est noster, defendere nos possumus, non à tergo. Aliter angeli, aliter Deus ipse.*

(2) *Qua retrò sunt, & ignoramus, & curare nequimus.*

(3) *Deus nos cingit undiq; : reverere igitur & confide.*

(4) *Manui divinae te totum submitte & committe: 1. Petr. V, 6. Psal. XXXI, 6. Quid nostrae excusationes, palliationes fucique omnes ad perspicacissimos Creatoris oculos? quid nostrae vires contra ejusdem manum?*

## USUS E VERSU VI.

(1) *Scientiae divinae consideratio omnem transcendit captum nostrum, quippe qui est finitus; Dei autem scire & posse infinitum.*

(2) *Omnis ergo speculatio desinat in admirationem.*

(3) *Vide, o homo, te nihil posse: 1. Corinth. XV, 10. Psal. XXXIX, 7.*

## USUS E VERSU VII.

(1) *Stolida est carnis nostrae deliberatio de modo effugiendi divinum iudicium. Hac ipsa autem quaestione (quorsum?) detegitur tandem curarum futilitas. Huc protoplastorum occultatio inepta: Genes. III, 9.*

(3) *Dei Spiritus, & Dei Verbum seu Facies sunt ipse Deus, sed ita, ut Verbum non sit Spiritus, nec Spiritus Pater; cum tamen interea sit maneatque unicus Jehova Elohim: Deuter. VI, 4. Atque hoc ipsum est discrimen personale in SS. Trinitate: 1. Joh. V, 7.*

## USUS E VERSU VIII.

(1) *Conscendere in caelum nulli hominum concessum unquam: quo ipso humana confunditur temeritas & praesumptio insanens.*

(2) *Caeli caelorum non comprehendunt Deum: 1. Reg. VIII, 27. Jes. LXVI, 1. Jer. XXIII, 23. 24. adest tamen his ipsis caelestibus creaturis praesentissimus.*

(3) *De Inferno tum damnatorum, tum imis globi terreni partibus, vid. in L. de Infernò.*

## USUS E VERSU IX.

[1] *Aurora, propter lucis jucunditatem, celeremque radiorum per hemisphaerium emissionem, non male introducit tanquam alata. Agamus Deo gratias singulis illis matutinis horis, imitantes de caetero quoad studium pietatis celerem istius lucis dispersionem progressusque viros.*

[2] *De Marium immensitate ac varietate per totum terrae globum docebunt Geographi. Nullibi tamen cogitari potest spatium experti Dei. In mari igitur idem metuendus, in navium claustris, (Jon. I, 5. Amos. IX, 3.) in insulis barbarorum &c. idem ibi invocandus, laudandus, &c.*

## USUS E VERSU X.

[1] *Manus, dextra, seu omnipotentia Dei provida, ubique ducit homines, & volentes, & nolentes, tam ignaros quam conscios, per prospera, per adversa, &c.*

[2] *Huic igitur ductui filialiter te committe ubivis: Psal. IV, 4. XXV, 4. seqq.*

[3] *Fugitivi comprehenduntur fortiter, inopinatè, inevitabiliter, &c. Amos. IX, 3.*

## USUS E VERSU XI.

[1] *Dicere & cogitare nostrum mire profecto per orbem divagatur: wir denken das hundert ins tausende. Confer Psal. LXXIII, 16.*

[2] *Caligo coram homine occultat hominem, non coram Deo aut angelis.*

A [3] *Cave opera tenebrarum: Job. XXIV, 16. Sir. XXIII, 25. Joh. III, 19.*

[4] *In angulo obscurissimo credas te versari & stare in luce plena circumfusa.*

## USUS E VERSU XII.

(1) *Tenebrae suo non destituuntur usu in naturalibus,*

(2) *Abusus tamen earundem occurrit creberrimus.*

(3) *Ad occultandum contra poenas judicemque sunt poenitentiae invalidae.*

(4) *In crassissimis tenebris, o homo, meditare circumfusam tibi penetrantissimam Dei lucem: Ebr. IV, 12. 13. ambula igitur in luce: Rom. XIII, 13. producentur enim singula in lucem: Cohel. XII, 14. Luc. VIII, 17.*

(5) *Si pudore alias retrahimur non raro à vitiis, ubi alias honoratos viros metuimus conscios, quidni ubivis metueremus Deum praesentissimum, perspicacem justum? A Satanà profecto est ista caecitas, qua nos facit adeo protervos: 2. Cor. IV, 4.*

## USUS E VERSU XIII.

[1] *Deus, uti nos in utero formavit, ita quoque nos totos possidet, jure Creationis. v. Symb. Apost. art. 1.*

[2] *Renes non excludunt viscera nobiliora caetera: conf. Job. X, 8. seqq.*

[3] *De primò nostro receptaculo, matris scilicet uterò, cogitandum saepius contra superbiam, ob aestimandam insuper Dei admirandam curam, ad reverenter tractandum generationis humanae negotium, &c.*

## USUS E VERSU XIV.

[1] *De Celebratione Dei v. praec. II.*

[2] *Mirabilia Dei quisque in se deprehendit optimè, quando primam sui expendit devote originem, quid contulerit ipsemet, quid parentes, b. e. plane nihil: omnia à Deo: 1. Corinth. IV, 7. quot evasimus pericula! quot affecti bonis!*

[3] *Admiranda Dei opera universa, ratione potentia, sapientia, clementia, &c.*

[4] *Vide, o homo, ut cum Davide liceat dicere: hæc cognoscit anima mea benè.*

## USUS E VERSU XV.

C [1] *Robur nostrum, quam nullius plane sit pretii, dum affirmamur in utero, omnium optimè perspectum est Deo, quidni omnes nostrae vires actionesque praesentes, dum in lucem jam sumus editi, perspecta essent ipsi?*

[2] *Dum facti sumus, nil contulit patris nostri sapientia, nil matris cura, ut hoc corpore, hac animâ, prodiremus aliis ornatiores, &c. omnia hæc concessa sunt nobis ex Dei manu. De ossium, nervorum, venarum, viscerum partiumque caeterarum structura mirabili instruent anatomici.*

[3] *Ut gemma, mineralia & metalla generantur in imis terrae recessibus, absque manus humanae adiumento, sic & corpus embryonis in terrae velut recessibus intimis, &c.*

## USUS E VERSU XVI.

(1) *O quam exilia nostra primordia! massa informis, lubrica, limosa, commaculans!*

(2) *Oculi divini non verentur aut refugiunt curam talium suscipere, L. de provid.*

(3) *Deo certi qu. sunt libri memoriales aut protocolla, in quibus consignantur, ad perennem qu. memoriam, etiam minima quaeque. Conf. Dan. VII, 10. Apoc. III, 5. XIII, 8. XVII, 8. XX, 12. 15. &c.*

(4) *Succesiva est nostra formatio in utero: sic & renovatio:*